

pugnantem nolit, rite ad Sacramentalem absolutionem percipiendam esse dispositum. III. Præpostere; perverseque non agere Confessarium, qui ex opinione, quam in praxi illicitam censet, sententiam ferat. Mitto incommoda, quæ ex sententiæ ab Auctore propugnata usu in tanta laxarum opinionum, quæ a novis Theologis pro probabilibus venditantur multitudine, in morum disciplinam manarent. Consulatur Antoine in tract. de Pœnitentia cap. 3. art. 3. quæst. 4. Cajetanus Maria Bergomensis in Opere, cui titulus: « L'Uomo Apostolico istruito nella sua vocazione al Confessionario cap. 7. num. 7. » Daniel Concina in Apparatu ad Theologiam Christianam tom. 2. de Probabilismo dissert. 9. cap. 5. num. 9. seqq. Cuniliati de Pœnitentia cap. 4. § 7. n. 13. et alii. Neque vero horum doctrina a communi Theologorum doctrina abhorret, ut Liguorius in testimonio ab Auctore descripto affirmat. Nam qui ex Probabilioristis in hac quæstione Probabilistis assentiuntur, et pauci omnino sunt, et sibi minus constant. Itaque fallitur Liguorius, dum opinionem probabilistarum communem sententiam vocat. Nec minus errat, cum pro ea ad Wigandt provocat. Hic enim tractat. 2. procemiali exam. 3. quæst. 9. num. 39. petenti: « Confessarius teneturne, aut potest absolvere pœnitentem, qui juxta sententiam minus probabilem scienter fecit contractum in probabiliori sententia Confessarii docti, et prudentis peccaminosum? vel potestne se accommodare sententiæ pœnitentis? » in hæc verba respondet, *cum tutiori, et probabiliori sententia*: « Si pœnitens in sua opinione semel, ac iterum mala fide sit lapsus, non potest Confessarius eum absolvere, nisi sit paratus corrigi. Unde tenetur eum monere, ac instruere de sequela sententiæ probabilioris, licet antea etiam bona fide processerit, et pœnitens tenetur parere. Nec potest Confessarius ejus sententiam amplecti. » Mox, ubi singulas propositionis suæ partes demonstravit, subdit num. 31. « *Sed quid, si pœnitens vir probatus, et timoratus esset multo doctior Confessario judicaretque sine pravo affectu, suam sententiam esse probabilioris opinione, quam alias Confessarius affirmat verisimiliorem? Resp.* In hoc casu non sum contrarius. *Oppono.* Ergo jam in aliquo casu Confessarius potest se accommodare sententiæ minus probabili pœnitentis contra suam probabilioris, *Distinguo.* In sensu composito, id est, propriam sententiam retinendo, *Nego.* Eam deponendo, et sententiam pœnitentis, velut verisimiliorem amplectendo, *Concedo.* »

In Editione Romana an. 1767, hæc num. 26. subjecta fuit Adnotatio, quam aliæ Editiones retinuerunt. « Ne quis decipiatur brevitate, et quadam etiam obscuritate, qua Auctor hic indicat mentem Benedicti XIV. legat saltem notam, quam apponit P. Phil. a Carboneano in tractatu de pœnitent. P. Antoine qu. 6. art. 2. c. 1. » Nos vero, ut Lectoribus rem gratam faceremus, notam ipsam etsi longiorrem hic describendam duximus. Nam longitudo utilitate pensabitur. Sic igitur habet P.

Philippus a Carboneano: « De Sacramento pœnitentiæ, quod est ad Complices in peccatis, duæ occurrunt SS. D. N. Benedicti XIV. Constitutiones. Prior, quæ incipit *Suprema omnium Ecclesiarum*, extat in vol. 1. Bullarii pag. 535. Altera cujus initium est *Ubi primum*, habetur in vol. 2, pag. 54. Utramque exposuit, et Commentariis illustravit vir Cl. Ludovicus Antonius Muratori. Ex quo et regulas Confessariis præscriptas, et nonnullas, quæ clare Pontificias Constitutiones declarant, excerptimus, atque Auctori, qui hæc in re ob nimiam Brevitatem est obscurus, addidimus. »

I. Inquirere nomen Pœnitentis non licet, neque ejus habitationem, aliasve ejus qualitates et circumstantias, quæ personam illius detegant sine ulla rationabili causa. Recte respondit quædam mulier de suo nomine interrogata: Nomen meum peccatum non est. Ob hujusmodi curiositatem procul dubio peccaret Sacerdos.

II. Non licet pœnitentibus nomen complicis revelare; ejus enim est peccata sua, non aliena accusare. Peccato non caret, eoque interdum gravi, qui famæ proximi sine ulla necessitate detrahit. Num tu æquo animo ferres, si quis infamiam tuam alteri proderet? Tu ergo præsta erga alios id quod ab aliis erga te præstitum cupis.

III. Si quis sponte, ex simplicitate tamen, et ignorantia, complicis nomen in confessione detegit, ut rudibus e vulgo hominibus interdum evenit, non peccat. Monendus tamen est, ut in posterum absteineat.

IV. Quicumque justo aliquo titulo sponte complicem in confessione revelat, nullum incurrit peccatum. Justus exempli causa titulus est, ut petatur consilium ad disrumpendam pravam aliquam consuetudinem, ad consulendum famæ propriæ, cui minatur insultum complex, si a peccando desistatur, atque aliæ hujusmodi causæ. Prior est enim tutela conscientiæ, et famæ nostræ, quam alterius.

V. Nomen complicis sibi, sive per ignorantiam, sive justo titulo revelatum, sub sigillo confessionis Sacerdos retinere debet.

VI. Inter Theologos anceps disputatio est, an oblata sponte a pœnitente licentia revelandi complicem, ea uti Confessarius possit ad correctionem ejusdem complicis, atque ad alia officia in utilitatem illius, aut Pœnitentis derivanda. Et quidem tot hic diversi Casus occurrere possunt, in quibus tam prudenter, quam imprudenter ejusmodi licentia uti Confessarius potest, ut certa statui hic regula nequeat. Sed infra hæc de re sermo recurret.

VII. Ad integritatem Confessionis licite potest, ac debet Sacerdos pœnitentem interrogare de complice, quum videlicet occurrere possit circumstantia aggravans, et speciem peccati mutans. Neque enim exempli causa sufficit confiteri commissum carnale peccatum, sed simul aperiendum est, an adulterium, aut sacrilegium, aut incestus intercesserit.

VIII. Confessarius in hoc casu interro-

gans, si nomen quoque, aut domum, aut alia signa exquireret a pœnitente, per quæ sibi persona complicis revelaretur, graviter peccaret. Suo enim debito satis pœnitens fecit, aperiendo circumstantiam peccati; et dum cætera rite concurrant, absolvendus est. Ulterior Confessarii interrogatio ad peccaminosam curiositatem est referenda, neque ad eam respondere pœnitens tenetur; immo ex complurium Theologorum sententia peccaret, si revelaret, ob præceptum non infamandi proximum.

IX. Ubi ex necessitate integritatis confessionis pœnitens animadvertit fieri non posse, quin Confessarius complicem cogniturus sit, puta si res fuit cum Sorore, aut Uxore fratris; tunc ex sententia quorundam gravium Theologorum obligatur ad quærendum, et ad eundem alium Confessarium, cui ignotus sit complex. Verum graves alii Theologi sentiunt, consilium hoc esse, non vero præceptum.

X. Accidere interdum potest, ut adigendus sit pœnitens ad revelandum complicem, quum nempe agitur de gravibus malis vitandis, quæ in perniciem Reipublicæ vergere possunt, sicuti accideret, si Principis vita periclitaretur, si aqua mortifera populo propinaretur, aut ex farina cui gypsum mixtum foret, panis publicus conficeretur. Ut impediatur, si fieri potest, hoc malum, obligatur pœnitens ad exquirendum consilium Confessarii, qui pro sua prudentia aut perse, aut per ipsum pœnitentem remedia conquirat. Nisi revelare velit pœnitens, minime est absolvendus; nam ex lege non minus justitiæ quam charitatis, tenetur ille pro virili curare, ut in tuto sit publica salus. De damno vitando, quod privata alicui personæ imminere potest, non loquor; nam fere semper suppressis complicum nominibus consilium præbere potest Sacerdos.

XI. Graviter peccat Confessarius, qui aut blandis artibus, aut minis haurire, aut extorquere a pœnitentibus nomina complicum absque justa necessitate velit. Gravius etiam delinquit, si ob negatam revelationem absolvere pœnitentem recuset. Non enim licet infamiam proximi ex legibus detractionis investigare; neque ad eam prodendam obligatione ulla constringitur pœnitens; immo si, præcisa necessitate, revelaret, ex multorum sententia reum se peccati faceret.

XII. Neque gravis peccati reatum effugeret Sacerdos, si revelationem complicis exigeret, ut per operam suam correptio, et correctio illius præstaretur. Nam Confessarii munus tantummodo est curare vulnera pœnitentis, non vero aliena; exquirere peccata pœnitentis, non aliena. Neque is tenetur ad eos corripiendos, qui crimina sua sibi revelare nolunt; immo cavere debet a corripiendo ob scandala quæ inde facile consequerentur.

Quod attinet ad primam Constitutionem *In primis*, inquit, animadvertendum est, quod hic damnatur omnis Confessarius Curiositas, quæ necessaria, aut utilis non sit pœnitentibus. Hoc est, eis interdicitur quacumque arte exquirere nomen, et habitationem Com-

plicis, et præcipue puniendus dicitur, qui minis, et negata absolutione notitiam hanc extorquere conetur. Itaque perversa, et perniciosa decernitur Confessariorum illorum praxis, « qui a Pœnitentibus, Socii hujusmodi, seu complicis nomen exquirunt, atque ad illud sibi revelandum non inducere modo suadendo conantur, sed quod detestabilis est, denunciata quoque, nisi revelent, absolutionis Sacramentalis negatione, prorsus adigunt, atque compellunt, immo etiam complicis ejusdem nomen, sed habitationis insuper locum sibi exigunt designari. » Quibus verbis praxis eorum proscribitur, qui nullum justum titulum habentes complicum nomina scrutantur, et indebitæ curiositatis reos se statuunt. Neque enim Sapientissimus Pontifex damnationem ad eos casus extendit, in quibus aut integritas confessionis, aut publica necessitas, aut pœnitentis ipsius conscientia exigit, ut Pœnitentes complicem revelent. Quod quum accidit, ipsum pœnitentem hortari, interdum etiam adigere potest ad revelandum, omisso tamen nomine, et loco habitationis, si fieri potest. At quandoquidem nonnulli causam hanc interrogandi de complice præferebant, videlicet ut ipsum postea corripent, atque in ejus utilitatem hujusmodi revelatione uterentur: casum hunc præcipue disertis verbis se damnare Pontifex profitetur, ita ut in posterum, quamvis etiam non palliata, sed in bonum finem excogitata ea causa adhiberetur, nulli Confessario liceat inquirere nomina complicum. Sunt verba Decreti: « Quam illi quidem intolerandam imprudentiam, tum procurandæ complicis correptionis, aliorumque honorum colligendorum specioso prætextu colorare, tum emendicatis quibusdam Doctorum opinionibus defendere non dubitant. » Quod sane decretum, quam justum sit, et disciplinæ Ecclesiasticæ conforme, nemo non intelligit. Equando enim sine necessitate infamiam alterius occultam prodere fas est? Immo aut incaute, aut malitiose detectam resarcire, si per nos commode licet, jubemur. Deinde quum Sacerdotes teneantur monere pœnitentes, ut sua quidem, non vero aliena crimina confiteantur, quid est quod ipsi postea sibi potestatem usurpent extorquendi a pœnitentibus aliorum peccata? At hoc, inquiunt, recta intentione peccata? Atque ut complicem quoque ad meliorem frugem deducamus. Sed nulla tibi est obligatio corripiendi, nisi quos confessio reos in sacro Tribunali statuit. Contra tibi obligatio est servandi sub sigillo, quæ tibi in Confessione revelantur, sive pœnitentis sint, sive aliorum. Præterea indebitis hisce interrogationibus pœnitentes a Sacramento deterres, dum eos prodere cogis id, quod ipsi a detegendo abhorrent, neque ulla obligatione detegendi tenentur. Gravioris etiam peccati reum te facis, quotiescumque ob negatam complicis revelationem pœnitenti absolutionem negas. Dum suo munere functus fuerit pœnitens, et peccata sua detestatus, eadem plene fuerit confessus cum proposito non peccandi, neque agitur de

recidivis, de occasione proxima, aut de pœnitentibus diu in cœno gravium peccatorum volutatis, id juris ad absolutionem pœnitens acquisivit, ut sine gravi injuria, et contemptu, atque abusu Sacramenti Confessarius denegare eandem non possit. Ad hæc, quisquis ex notitia complices in confessione habita, quamquam licentia pœnitentis confisus complicem corrigendum suscipit, scandalis non paucis obnoxius est. Indignatur enim quicumque secreta sua crimina detecta videt, suæque famæ vulnus illatum apud Confessarium. In querelas igitur is facile erumpet, et Sigillum Sacramentale fractum suspicabitur, et Sacerdotem veluti proditorum tanti Sacramenti habebit, quæ certe in perniciem Religionis vergere possunt. At quanto graviores tragœdias excitabit complex, ubi resciverit, non sponte factam, sed extortam fuisse in confessione revelationem sui nominis, atque licentiam revelatione illa utendi? Nam sine hac licentia fracti Sigilli reus foret Sacerdos. Igitur intolerandæ imprudentiæ, et zeli sine scientia facinus hic habes. Deinde tametsi sine dolo malo, et in bonum tantummodo finem complices nomen Confessarius detegendum curaret, fieri non posset, quin hominum malitia id tentatum arbitraretur in pravum aliquem finem, ex quo non levis invidia, atque odium adversus ipsum Sacramentum conciperetur. Et sane quum inter tot probos Ecclesiæ Ministros vix fieri possit, quin aliquis interdum a concupiscentia in transversum agatur, et in venenum convertere possit, quæ Christus Dominus in medicinam nostram instituit. Satis ejusmodi periculum foret, ut omnino præcluderetur in posterum aditus ejusmodi interrogationibus minime ad Sacramentum necessariis, et tam facile scandala, et perniciem animarum parituris. Propterea sapientissime Summus Pontifex in Decretali addidit: « Nec fieri potuit, quin ea de causa et oblocutiones, et scandala, et non Ministrorum tantum, sed Sacri etiam ipsius Ministerii odium, et Animarum ingens perturbatio in populo fideli exorta sint. »

In alterius vero Constit. Comment. iterum, ait, conficitur quæcumque perversa Confessariorum Curiositas, ac præcipue negantium absolutionem renuentibus revelare complicem, eosque a Sacra Inquisitione puniendos S. Sedis decerni: « Dummodo tamen hujusmodi interrogandi, ac denegandi actus talibus circumstantiis conjunctus sit, ac investitus; quæ sic agentem Confessarium de adhæsione ad prædictam reprobam praxim, tamquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate suspectum reddant. » Si ejusmodi circumstantiæ desint, deferendus non erit ille ad Inquisitionis Tribunal. Non desunt sane Confessarii simplicitate laborantes, qui melius conscientia pœnitentis se prospicere posse aliquando putent, si nomen Complicis audiant. Fieri potest, ut nulla malitiæ suspicio in ipsos cadat: quod non difficile prospici potest. Quum exempli causa de furtis, de fraudibus, de periclitante alicujus honore agitur: tum bonus Confes-

sarius (imprudenter fortasse) exquirat complices nomen, consilium, ut sibi videtur, opportunum daturus. Hic tamen illius error ad cognitionem Inquisitorum non pertinet. Idem infra aliis disertis verbis inculcat Pontifex inquiens: « Quod si Confessarii de complices nomine perperam interrogantis, absolutionemque, ni sibi detegatur actum denegantis contingat ejusmodi esse, ut quamvis imprudens, et malus, simplex tamen quidam, et nudus actus fuerit, id est iis circumstantiis destitutus, quæ de prava credulitate vel de mala adhæsione ad praxim in sæpedito nostro Brevi reprobam tamquam illicitam, eumdem Confessarium suspectum reddant: tunc istiusmodi delictum, neque denuntiationis oneri, neque Sancti Officii prædicti cognitioni subjectum erit, sed de illo cognoscere, atque in delinquentem Confessarium per suspensionem ab audiendis confessionibus, vel alias Canonicas, et legitimas pœnas pro dilecti modo animadvertere ad locorum Ordinarios in sua cuiuscumque diœcesi omnino spectabit. » Rectissime hæc, nam ea, quæ errorem, aut suspicionem erroris contra dogmata Fidei, aut opiniones scandalosas, et perniciosas, a Sede Apostolicâ damnatas, minime continent, ab Inquisitionis jurisdictione semota sunt. Æquissimus vero Pontifex nihil voluit imminutum de ordinaria jurisdictione Episcoporum, quam tamen læsam ab Inquirenti generali iidem, ut supra vidimus, expositulabant.

Itaque si quis cognoverit quemquam e Confessariis deliquisse modis in Pontificio Brevi expressis, obligatur ad illum denunciandum Sancto Officio intra terminum tringinta dierum, tunc solum cum circumstantiæ occurrunt, quæ indicent, aut justæ suspicioni locum præbeant, Confessarium credere licitam hujusmodi interrogationem, quæ intrinsece illicita sit, nisi forte legitima aliqua causa interrogandi, de qua supra egimus intercedat. Ad hoc etiam, ut denuntiatio faciendâ sit Sancto Officio, exigat Pontifex, ut Confessarius Sacramentalem absolutionem pœnitenti denegarit. Exceptionem alteram nunc accipe. « Verumtamen, subdit Pontifex, ab hujusmodi onere justis de causis eximi volumus, et eximimus personam ipsam Pœnitentem dumtaxat in causa propria, id est in casu, quo suum peccatum » confitens, a confessario adigatur ad sibi manifestandum nomen complices in eodem peccato; tunc enim pœnitentem hujusmodi ab obligatione eumdem Confessarium denunciandi liberamus. Sed quando aliunde, quam ex propria, ut dictum est confessione, noverit, Confessarium aliquo ex superius enumeratis, et Sancto Officio denunciandis modis deliquisse; tunc eum, et ipse denunciare ex ista aliunde habita notitia teneatur.

ARTICULUS IV.

Confessarius monialium tam ordinarius quam extraordinarius.

(1. Monialium Confessarii non possunt

eligi ab Universitate, nempe ab ipsis monialibus, sed eligi debent, et approbari ab Episcopo loci pro Monasteriis sibi subjectis; Sac. Congr. Epis. et Regul., in Lauretana 20 Sept. 1588, in Tuscul., 25 Octob. 1601, in Regien. 4 Septemb. 1602; in Valisoletana 26 Octob. 1604 (2. Pro monasteriis autem Regularibus subjectis eligi, et deputari debent a suis respective Superioribus Regularibus; arg. ex Conc. Trid. sess. 23 de Regul. et Monialib. cap. 10; ex Clement. Dudum, de Sepulturis § Statuimus, et ex Constit. Gregorii XV. incip. *Inscrutabili*. Sed tamen debent ab Episcopo Diœcesano ideonei judicari, et approbari ut expresse statuit d. Gregorius XV. in cit. Constit. *Inscrutabili*, ibi: « Confessores vero, sive Regulares, sive Sæculares, quomodocumque exempti, tam Ordinarii, quam Extraordinarii, ad Confessiones Monialium etiam Regularibus subjectarum audiendas nullatenus deputari (scilicet per Superiores Regulares) valeant, nisi prius ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, et approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. »

(3. Potest tamen Episcopus in aliquibus casibus deputare Confessarium Sæcularem, seu Regularem etiam alterius Religionis Monialibus exemptis, quando scilicet nulla ratione induci possunt, ut peccata sua Regularibus confiteantur; Sac. Congr. in Regien. apud Pignatell. tom. 8, consult. 53, num. 5. Vel si injuste denegetur Confessarius a proprio Prælato; ead. S. Cong. ex Naldo verb. *Episc.* n. 13. et sequitur D. Cajetanus de Alexandris in Confessario Monialium c. 6, § 13, q. 1. (4. Et quod Episcopus in casu negligentia Superiorum possit deputare Confessarium Extraordinarium Monialibus Regularibus subjectis, decrevit expresse S. C. Concilii in Carducen. 12 Julii 1638, ubi cum ad instantiam Monialium S. Clare quæsitum esset: « An habere possint Confessarium Extraordinarium ab Episcopo Diœcesano, non obstante contradictione Superiorum Regularium, quibus eadem Moniales subjiciuntur; Respondit. Habere posse Confessarium extraordinarium ab Episcopo Diœcesano in casu negligentia Superiorum Regularium: » Sic apud Monacell. p. 2, tit. 13, formul. 15, num. 6.

(5. Insuper potest Episcopus ex juxta, et rationabili causa Superiores admonere, ut ejusmodi Confessores amoveant, et si Superiores id facere detractent aut negligent, potest ipse prædictos Confessores amovere, quoties, et quando opus esse judicaverit. Sic expresse statuit Gregorius XV, in d. Constit. Incip. *Inscrutabili*, ubi: « Liceatque Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, ut ejusmodi Confessores, atque Administratores amoveant; iisque Superioribus id facere detractantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, et administratores amovendi, quoties, et quando opus esse judicaverit. »

(6. Nec Episcopus tenetur ejusmodi causam significare Superioribus Regularibus, ut ex-

presse decrevit S. C. Conc. in responsione ad duodecimum ex dubiis circa dictam Constitutionem Gregorii XV, incip. *Inscrutabili*, resolutis, approbante eodem Gregorio XV, et Urbano VIII, qui dictas responsiones et declarationes typis Cameralibus imprimi jussit de anno 1623, apud Barbosam super Conc. Trident. sess. 23, de Regul. et Monial. c. 3, a n. 7. Fagnan. lib. 5, decr. in cap. Cum Cappella, de privil. in fine, et apud Tamburin. de Monial. disp. 26, quæsit. 3. Dictum autem dubium duodecimum conceptum erat his verbis: « Duodecimo cum in eadem Constitutione statutum sit, ut liceat Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, ut amoveant Confessores Monialium, atque Administratores bonorum ad earumdem Monialium monasteria pertinentium iisque Superioribus id facere detractantibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, et Administratores amovendi, quoties, et quando opus esse judicaverit. An ejusmodi causam Episcopus significare teneatur Respondit: Ad duodecimum non teneri ejusmodi causam significare Superioribus Regularibus; sed hoc relinquere arbitrio et prudentiæ Episcoporum, quorum conscientias Sacra Congregatio serio oneravit, ne facultate sibi hac in parte attributa quoquo modo abutantur ejus rei in districto Dei judicio rationem reddituri. »

(7. Confessiones Monialium sibi subjectarum auditæ a Confessariis Regularibus sine approbatione Episcopi sunt irritæ, et nullæ; Ead. Sac. Congr. Conc. Vide verb. *Approbatio*, art. 3, num. 3.

(8. Neque Superiores quicumque, etiamsi sint Generales, possunt sine approbatione Episcopi audire Confessiones Monialium sibi subjectarum. Vide d. verb. *Approbatio*, art. 3, num. 4.

(9. Licet iidem Confessarii sint generaliter approbati ab Episcopo ad audiendas Confessiones sæcularium, adhuc est eis necessaria specialis approbatio pro Monialibus sibi subjectis. Vide ibid. n. 3.

(10. Nec approbati ab Episcopo ad audiendas Confessiones Monialium unius Monasterii censentur approbati ad audiendas Confessiones Monialium alterius Monasterii. Vide ibid. n. 6.

(11. Etiam Confessarii extraordinarii indigent speciali approbatione Episcopi. Vide ibidem num. 7.

(12. Nec semel approbati censentur semper approbati. Vide ibid. n. 8.

(13. Nec in vim unius approbationis possunt pluries Monialium etiam ejusdem Monasterii Confessiones audire, sed toties debent ab Episcopo approbari, quoties casus deputationis contingerit. Vide ibid. n. 9.

(14. Immo tales Confessarii indigent approbatione Ordinarii ad audiendas Confessiones Monialium sibi subjectarum, non obstante etiam contraria consuetudine immemorabile. Vide ibid. n. 10.

(15. Confessarii non approbati specialiter ad audiendas Confessiones Monialium, ne-